



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. De veritate, & bonitate entis vt sic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

se habent, & respectu vocationis, & durationis, quibus prædictus est calor, per se se gerunt: ergo circumstantiæ illæ temporis, & loci calorem numero variare non poterunt, solamque vocationem, & durationem caloris variare poterunt: ac per consequens quod hic & nunc (vt aiunt) hic numero calor potius quam alius primò producat, à circumstantiis temporis, & loci proficisci nequit. Argumentor quartò: quia quod hæc specie actiones liberæ potius, quam aliæ, præuæ nimirum potius quam studiose, aut è contrario, à voluntate nostra oriuntur, à motu cæli, seu tempore reali non prouenit, cum cæli libero arbitrio non dominantur, eiusque libertatem non evertant, vt fide sanctū est: ergo etiam quod hæc numero actiones potius quam aliæ numero diuersæ à nostra voluntate existant in motum cæli, siuè tempus reale reuocari nequit: atque adeo circumstantia temporis radix indiuiduationis actuum liberorum esse non potest. Tandem voluntas non discernit hunc actum numero ab alio, cui omnino similis est, imò libertatem exercitura, & in amorem, vel odium abitura solum obiectum, non vero actus suos præcognoscit: igitur ad vnum præ alio omnino simili se se determinare, & alterum potius, quam alterū eligere nequit: ac proinde voluntas adiunctis etiam circumstantiis temporis, & loci radix indiuiduationis actuum suorum censenda non est. Quamobrem dicendum est, solam causam primam determinare ad indiuiduationem causarum secundarum, & quod hic calor v.g. potius quam alius solo numero diuersus producat, ideo est, quia Deus præparat concursum igni ad hunc potius, quam ad illum; siue, quod perinde est, quia decernit concurrere cum igne ad hunc calorem A v.g. & non ad alium vllum ex infinitis, quos sibi & igni possibiles compicit: vnde quemadmodum materia signata quantitate non est radix indiuidui in facto esse, vt contra Thomistas superius ostendimus: ita circumstantiæ temporis, & loci principia esse nequeunt in fieri, vt hoc cap. ostensum manet.

19 Obijcies primò, si causa creata in his circumstantiis esset in differens ad hunc, vel illum numero effectum, esset pari ratione indifferens ad infinitos solo numero distinctos. Consequens est absurdum, & contra limitatam, finitamque causæ creatæ virtutem: ergo non habet eiusmodi indifferenciam ad indiuiduationem suorum effectuum: atque adeo ad illam à Deo non determinatur. Secundò quia aliàs esset indifferens de se ad effectum numquam productum producendum, aut semel productum reproducendum, cum eiusmodi effectus solo numero differant. Consequens absurdum est: siquidem effectus semel productus, & corruptus naturaliter impossibilis est. Tertiò quia si Deus determinaret effectus causarum secundarum quoad earum indiuiduationem, id munus exerceret decreto aliquo efficaci, quo vellet, vt hic effectus numero determinate existeret. Consequens autem falsum est; aliàs Deus ea ratione causas liberas quoad indiuiduationem determinans, earum libertatem euerteret, cum iisque ad peccata veluti eorum author & causa concurreret. Verum hæc admodum non virget. Ad primum respondeo, quod causa creata indifferens sit ad infinitos effectus non simul, sed diuisiuè producendos, infinitam simpliciter in ea virtutem nõ arguit: qua ratione Petrus infinita pondera diuisiuè sumpta hic & nunc portando est, nimirum decem libras æris, aut decem ferri, aut decem auri, aut decem argenti, & sic in infinitum, quin propterea in eo infinite vires sint. Ad secundum respondeo, indifferenciam causæ ad hos, vel illos numero effectus intelligendam solum esse de effectibus naturaliter possibi-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

libus: cur autem effectus semel productus, & postea corruptus naturaliter impossibilis sit lib. 2. tract. 3. c. 4. Physicæ fusè expositum est. Ad tertium etiam lib. 4. Physicæ factum est satis.

TRACTATUS VI.

De veritate, & bonitate entis vt sic.

CAPVT I.

De veritate entis vt sic.

 V A M ita explicare animus est, vt circa eam dissidentes opiniones conciliandæ, non impugnandæ mihi sint: sic enim fiet, vt veritatem explicaturus ab ea minùs aberrem. Veritas ergo transcendentalis, entis passio communiter, & merito habita, duplex est: alia physica, & intentionalis alia. Veritas physica, naturam entis velut passio consequens est, qua quæuis res à non ipsa distinguitur. Suadetur primò auctoritate Augustini lib. 2. soliloquiorum cap. 5. ibi: *verum est id, quod est* (puta quod non est aliud, quàm est) *non autem id quod videtur, aut quod tale est, quale videtur: quia etiamsi res non videatur, neque conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera est.* Vbi Augustinus veritatem non in conformitate aliqua cum intellectu, sed in ipsa re prout præcisa ab intellectu, & prout in se distincta à quauis alia collocat. Idem sensisse videtur Auicenna in sua Metaphysica ibi: *veritas rei est proprietas esse vniuersiusque rei, quod stabilium est ei: quasi diceret, eatenus aliquid dici verum, quatenus habet esse stabile in se, ab aliisque distinctum, atque in ea non dilabens.* Beatus Thomas etiam 1. contra Gent. cap. 60. procul non abest, ibi: *res tamen interdum vera dicitur, secundum quod actum propria natura consequitur: quasi vellet, in tantum aliquid dici verum, in quantum sortitur esse proprium sibi, siue à quouis alio distinctum.* Idem etiam Aureolus, alique antiquiores teneant.

2 Ratione suadetur: quia hoc ipso, quod lignum v.g. sit lignum, & distinctum à quouis alio non ligno, verum lignum est, circumscripto per intellectum quouis alio, nempe conformitate, aut relatione, ad intellectum, vel quippiam simile: igitur veritas transcendentalis ligni in eius distinctione à quouis alio, quod lignum non sit, consistit. Consequentia tenet. Antecedens seipso manifestum est, & penè ad verbum Augustini vbi supra: *vnde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignum est: nec fieri potest, vt per se ipsum, id est sine cognitione lignum sit, & verum lignum non sit.* Secundò quia rem distingui à quauis alia, est attributum entis: siquidem ens ratione nostra consequitur, cum eo reciprocatur: nullumque ens est quod ab alio distinctum non sit; quodque ideo distinctum non sit ab alio, quia tale ens est: at hoc, quod est, rem distingui à quauis alia, non est bonitas, vt constat, nec vnitas, vt supra ostensum est: ergo veritas. Tertiò quia si per impossibile nec Deus, nec creatura vlla intellectu pollerent, vel in ea hypothese daretur verum transcendentalis, vel non daretur: si primum: ergo verum transcendentalis non in conformitate cum aliquo intellectu, sed interdum in distinctione rei à non ipsa consistit: si secundum: ergo in eo euentu verum esset, non dari verum transcendentalis: atque aded daretur verum transcen-

H 2 dentale

dentale; cum tamen nullus intellectus nullaque cum intellectu conformitas daretur. Quartò quia cum aliquid est, simile ei, quod non est, falsum, dicitur: aurichalcum v. g. falsum aurum dicitur, quia est simile auro, cum tamen aurum non sit: ergo à contrario cum aliquid vere distinguitur, aut differt ab eo, quod non est, eo ipso verum dicitur. Quintò quia veritas, puritas, & sinceritas synonyma sunt: at puritas, &c. significant rem distingui, siue, ut ita loquar, de purari, & secerni à quavis re non ipsa.

Veritas autem transcendentalis intentionalis, alia est extrinseca, ex parte, & ratione formæ, alia intrinseca. Veritas intentionalis quadantenus extrinseca est de nominatio illa, qua à cognitione vera possibili res extrinsecè cognoscibilis, sicuti est in se, denominatur: siquidem cognito actualis denominat rem actu cognitam: ergo etiam possibilis denominat rem possibiliter cognitam, siue cognoscibilem, velut est in se, vel aliter quàm est in se, quod huiusmodi cognoscibilitas extrinseca rei, sicuti est in se, sit attributum, & passio entis, perspicuum est: nam attributum entis ei omnino extrinsecum esse non debet, sed partim intrinsecum, partim extrinsecum esse potest: ergo quantumlibet cognoscibilitas entis partim intrinsecus, partim extrinsecus adueniat, eius attributum; atque adeo veritas transcendentalis dici poterit. Antecedens in propatulo est: tum quia hoc, quod est, aliquid distingui à non ipso entis attributum, & genus quoddam veritatis transcendentalis est, ut proximè superius ostensum manet: & tamen aliquid distingui ab alio est relatio prædicamentalis in utroque realiter consistens, ac proinde denominatio partim intrinseca, partim extrinseca ei, quod distinguitur, & cuius attributum est. Tum etiam quia omnipotentia Dei est eius attributum, & tamen est denominatio partim intrinseca essentiae diuinæ, & partim ei extrinseca, ac à possibilitate creaturatum proficiens.

Veritas intentionalis intrinseca naturam entis velut passio consequens est cognoscibilitas intrinseca, & essentialis, qua res sicuti est in se, cognosci potest. Quod enim hæc cognoscibilitas intrinseca, si detur, veritas transcendentalis, atque adeo passio entis sit, suadetur: tum quia non solum actus voluntatis est bonus formaliter, verum etiam eius obiectum est obiectiue bonum in ordine ad actum, per quem rectè, & studiosè amari potest: ergo etiam non solum cognitio est vera formaliter, sed eius obiectum est verum obiectiue & transcendentaliter in ordine ad cognitionem, per quam verè cognosci potest: ergo cognoscibilitas rei sicuti est in se, veritas obiectiua, & transcendentalis est: cur ergo magis cognoscibilitas extrinseca, quàm intrinseca eiusmodi veritas transcendentalis sit? equidem quò magis aliquid intrinsecum est, eò magis transcendit id, cui intrinsecum est: cognoscibilitas ergo intrinseca, si detur, potius quàm extrinseca dici debet veritas transcendentalis; si, quod negari nequit, alterutra veritas dicenda sit. Præterea veritatem transcendentalem in cognoscibilitate rei, sicuti est, siue conformitate cum intellectu vero statuunt Aristoteles 2. Metaphys. ibi: *veritas est adequatio rei ad intellectum*. B. Augustinus ubi suprà in hæc verba, *verum est quod ita se habet, ut videtur cognitori, si velit, & possit cognoscere*. & B. Anselmus dialogo de verit. cap. 9. *veritas est rectitudo sola mente percipibilis*. & B. Thomas quæst. 1. de verit. art. 4. ibi: *veritas proprie inuenitur in intellectu humano, vel diuino, sicut sanitas in animali in rebus autem aliis inuenitur per relationem ad intellectum*: at hæc

testimonia ut minimum concurrunt cognoscibilitatem intrinsecam rei, ut est in se, si ea detur esse veritatem transcendentalem, & passionem entis per consequens.

Quòd autem quævis res sit intrinsecè, & per se cognoscibilis verè, siue quòd quævis res dicat ordinem, ac habitudinem intrinsecam, ac essentialem ad veram cognitionem sui, hac ratione suadetur. Quævis entitas creata dicit ordinem transcendentalem, & essentialem ad omnipotentiam Dei creatricem, & hac per impossibile defectura, etiam illa per locum intrinsecum deficeret, ut in Physica disputatum est: ergo quævis veritas creata dicit ordinem transcendentalem, & essentialem ad intellectum Dei verum; & defecturo per impossibile intellectu Dei, quævis veritas creata defectum pateretur, ac per consequens res creata est intrinsecè, & essentialiter cognoscibilis verè & quemadmodum se habet. Aut paulò aliter: omnis entitas creata est intrinsecè, & essentialiter possibilis à Deo: ergo etiam omnis veritas creata est intrinsecè, & essentialiter cognoscibilis à Deo, cum igitur non aliter, quàm est in se, certè sicuti est in se. Quare quidquid sit, an quævis res sit intrinsecè, & essentialiter cognoscibilis ab intellectu creato, certè quòd verè cognosci possit ab intellectu creatoris, cuiusque rei creatæ intrinsecum, & essentialiter est. Quo, ni splendide fallor, alludit B. Thomas quæst. 1. de verit. art. 4. ibi: *sic ergo res aliqua principaliter dicitur vera in ordine ad veritatem intellectus diuini quàm in ordine ad veritatem intellectus humani: si ergo accipiat veritas proprie dicta secundum quam omnia principaliter vera sunt, sic omnia sunt vera una veritate, id est veritate intellectus diuini: & sic Anselmus de verit. loquitur in lib. de veritate* Quod etiam supposita relatione transcendentali rerum creatarum ad inuicem, quam lib. 4. Phys. tract. 2. cap. postremo tutatus sum, quævis res sit intrinsecè, & essentialiter cognoscibilis; sicuti est ab intellectu etiam creato, & ad veram cognitionem intellectus, etiam creati habitudinem transcendentalem dicat, in hunc modum suadetur: causa creata dicit ordinem transcendentalem ad suos effectus: at quævis res creata parere potest veram cognitionem sui tanquam proprium effectum: ergo ad eam, ordinem transcendentalem dicit. Præterea quævis res creata essentialiter amat appetitu innato bonum suum extrinsecum, atque adeo ad illud ordinem transcendentalem dicit: sicuti enim appetitus elicitus fertur ad bonum extrinsecum, famam v. g. aut gloriam, ita non absimiliter appetitus innatus: at rem cognosci verè, & sicuti est in se ab intellectu creato est quædam eius quasi fama, & gloria, quoddamque bonum eius saltem extrinsecum: quò certe respexisse videtur Aristoteles 1. rethor. ad Theodectum cap. 1. ibi: *vera, & iusta meliora secundum naturam sunt, quàm contraria*.

CAPUT II.

De bonitate entis ut sic.

Qua ratione paulò suprà dissecuimus veritatem transcendentalem enti attributam in physicam, & intentionalem, ita impræsentiarum bonitas transcendentalis entis passio in physicam & absolutam ab omni respectu ad voluntatem & intentionalem ac voluntati conformem dissecanda est. Bonitas ergo physica rerum est earum perfectio, qua nempe aliquid entitatem à se realiter, aut virtualiter distinctam pro posteriori quodam naturæ signo perficit, aut complet.

Probat,ur,

Probat, tum quia malum eo ipso imperfectum est : ergo bonum formaliter est perfectum : ergo & bonitas formaliter perfectio. Tum quia ut constat ex Augustino lib. 3. de natura boni cap. 3. bonum consistit in modo, specie & ordine : at modus, species, & ordo nihil aliud sunt, aut esse possunt, quam perfectio aliqua entitatem rei pro posteriori complens. Tum quia ut ait D. Thomas q. 3. 1. de verit. art. 1. corp. ibi : *alio modo ens est perfectum alterius non solum secundum rationem speciei, sed etiam secundum esse quod habet in rerum natura, & per hunc modum est perfectum bonum.* Tum demum quia iuxta Dionysium cap. 4. de diuin. nominibus bonum ex integra causa, & malum ex quocunque defectu : igitur bonitas est integritas ; siue, quod perinde est, perfectio ; & malitia defectus, siue imperfectio.

7 Porro autem perfectio bifariam sumi potest : primo, pro eo, quod pro posteriori signo rem complet, & perficit : & bonitas sumpta pro perfectione in hoc sensu non est specialis quadam passio entis, sed conceptus quidam vagus, & æquiuocus omnem passionem, omnemque differentiam entis transcendens : siquidem unitas entis, eius perfectio, & bonitas est in hoc sensu, necnon veritas entis & perfectitas, & esse in alio, omnisque alia differentia entis contracta : unde bonitas in hoc sensu non distinguitur à veritate, & unitate, nisi tanquam ratio superior ab inferiori, seu generica à specifica. Secundo sumi potest, & solet perfectio pro carentia cuiuscumque defectus, & incomplementi vel in omni genere : qua ratione solus Deus perfectus, bonusque est iuxta illud Maro 10. *nemo bonus nisi solus Deus*, vel in aliquo genere, ut quævis creatura : quamvis enim habere complementum, & perfectionem realiter idem sit, ac non habere defectum, & incomplementum : ceterum virtualiter, aut si mauis, ratione nostra distinguuntur ob diuersa connotata, quæ respiciunt : & hoc pacto perfectum explicuit Aristoteles 5. Metaphys. cap. 6. *perfectum dicitur extra quod non est ullam partem accipere, seu cui nihil deest* : bonitas ergo, & perfectio in hoc sensu specialis quadam passio entis est, & ab eius unitate, veritate, & differentiis virtualiter intrinsecè distinguitur.

8 Deinde perfectio, seu bonitas, alia est intrinseca, ut vita, salus, sapientia, &c. alia extrinseca, ut honor, gloria, fama, & vniuersum quidquid absque vnione physica conducit. Præterea perfectio, seu bonitas physica, alia est absoluta ; alia respectiua : absoluta est, quæ relationem realem convenientiæ non includit : qua ratione Deus sua bonitas est, & quævis res etiam creata sibi metipsi bona est : respectiua bonitas est, quæ relationem illam realem convenientiæ importat, & qua aliquid alteri à se realiter distincto conueniens est : quo pacto Deus est nostra bonitas, & beatitas : & omnis forma subiecti sui bonum est. Vltèrius bonitas transcendentalis physica, siue perfectio rei, alia est simpliciter, quæ cum aliqua imperfectione coheret, ut homo, Angelus : alia est simpliciter simplex, quæ ab omni imperfectione præscindit, siue quæ in quouis sit, semper est melior ipsa quam non ipsa, ut cognitio, amor, esse substantiam, esse viuentem, esse à se, & vniuersim ea prædicata, quæ vel Deo, & creaturis communia sunt, vel soli Deo congruunt. Tandem bonitas physica, siue perfectio, alia est in omni genere, quæ videlicet omnem perfectionem possibilem, vel formaliter, vel eminenter complectitur : quo pacto solus Deus perfectus est : alia est in aliquo genere, cuiusmodi est finita, & circumscripta creaturæ perfectio, sicuti paulò supra attingimus. Bonitas intentionalis rationem entis velut pas-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

sio consequens est ea, per quam aliquid appetibile est, siue cum voluntate conformitatem habet : tum quia cognoscibilitas rei sicuti est, eius veritas est, ut suprà ostensum manet : igitur etiam amabilitas rei eius bonitas erit : tum etiam quia id expressè docet Aristoteles 1. ethicor. ibi : *bonum est, quod omnia appetunt.* Cui consentit B. Thomas 1. p. q. 5. art. 1. ibi : *ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile & art. 3. ad 1. ibi : bonum non addit aliquid supra ens, nisi rationem appetibilis.* Idem habetur apud Platonem in Gorgia, necnon in Cratilo, ubi ex ethymo vocis suadet : nam agathos, siue bonus deriuatur ab aguin, quod nobis est illicere, & ducere ad se appetitum. Id ipsum tandem habetur apud Senecam epist. 118.

9 Dices tamen primò : ideo res est appetibilis, quia est bona : ergo bonitas anteuertit rationem nostram appetibilitatem, ac proinde ab ea distinguitur. Dices secundo : si bonitas rei in eius appetibilitate sita esset, sicuti veritas in cognoscibilitate, quemadmodum duplex est veritas, alia omnino intrinseca in cognoscibilitate intrinseca rei consistens, alia partim intrinseca, partim extrinseca in cognoscibilitate proportionata consistens ; ita pariter duplex foret bonitas : alia intrinseca, alia partim intrinseca, partim extrinseca : consequens est falsum : ergo & illud, ex quo sequitur. Maior conspicua est. Minor suadet. Tum quia omnis bonitas est dignitas amoris : dignitas autem amoris rei intrinseca est : quo enim pacto quod homo amore dignus sit, quid ei extrinsecum, & non omnino extrinsecum esse potest ? Tum quia iuxta Augustinum lib. 83. quæstionum quæst. 24 ibi : *omne quod est, in quantum est, bonum est.* & lib. 3. de libero arbitrio cap. 15. *quidquid est, sicuti esse debet, bonum est & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 32. ibi : at cætera, quæ sunt nisi ab illo (puta Deo) esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt, ut sint.* Et iuxta Boetium lib. 2. hebd. cap. 2. ibi : *quidquid est in eo quod est, bonum est.* Ex quibus sic argumentor : eatenus aliquid bonum est, in quantum in se habet esse, ut ex testimoniis prædictis constat : at esse cuiusque rei intrinsecum est : ergo & esse bonum ; ac proinde bonitas partim intrinseca, partim extrinseca commentitia est. Tum demum quia si bonitas aliqua transcendentalis partim intrinseca, partim extrinseca rei adstrui posset, eadem ratione, vel potius irrationabilitate fingi posset, res esse transcendentaliter bonas per denominationem omnino, & adæquatè extrinsecam, à bonitate prima desumptam : sicuti somnari sunt Platonici, & Porretani, quos rectè confutat B. Thomas quæst. 21. de verit. art. 2.

10 Ceterum hæc admodum non premunt. Ad primum argumentum respondeo : ideo res est appetibilis, quia est bona, si hæc particula denotent non causam, aut rationem à priori, sed definitionem, aut rationem formalem : haud aliter ac ideo Petrus est homo, quia est animal rationale : unde quemadmodum non obstante hac posteriori causali, homo in animali rationali formaliter consistit : ita similiter, &c. Quid ? quod in hac causali procul dubio vera, ideo res est cognoscibilis, quia est vera, argumentum aperte instatur, atque infringitur. Ad secundum argumentum respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate. Ad primam probationem oppositam, omnis bonitas est dignitas amoris : ceterum dignitas aliqua amoris ex parte extrinseca esse potest : tum quia datur etiam dignitas cognitionis, & res non tantum amari, verumetiam cognosci dignè dicuntur : at dignitas cognitionis, siue

H 3 veritas

veritas aliqua ex parte extrinseca est, vt supra cap. præcedenti ostensum manet. Cum etiam quia dignitas odij partim extrinseca esse potest, vt cernere est in non condonatione extrinseca Dei, quæ iuxta probabilem plurimorum sententiam simul cum peccato actuali præterito peccatum habituale, ac dignitatem odij personalem constituit, necnon etiam in peccato Adæ, quod & si posteris extrinsecum sit, supposita tamen transfusione arbitrij posterorum in arbitrium Adæ posteros originaliter malos, odioque dignos denominat: cur igitur dignitas aliqua amoris ex parte extrinseca esse nequeat?

II Ad secundam probationem oppositam respondeo, sermonem Augustino esse de bono, non prout passio entis est, & in præsentī controuertitur, sed prout cum ente coincidit, cum eoque synonymum est: etenim bonum interdum sumi posse, & solere, vt ab ente ne ratione differat, sed sola voce, & ex oppositis testimoniis liquet, & etiam à sumili: quia B. Augustinus tom. 1. lib. 2. soliloquiorum cap. 5. accipit verum pro ente absque vlla vtriusque distinctione etiam rationis in hunc loquendi modum: *verum est id, quod est*: quanquam negari nequit hæc verba aliam interpretationem capere posse, eam videlicet, quam cap. superiori præmisimus. Deinde transeat, sermonem esse Augustino locis adductis de bono, prout est passio entis: inde certè tantum efficitur, bonitatem aliquam transcendentalem enti omnino intrinsecam esse, quod nos vltro largimur, qui tamen si bonitatem sitam in appetibilitate extrinseca rei, partim extrinsecam arbitramur, tamen bonitatem consistentem in appetibilitate intrinseca, & essentiali rei, necnon in eius perfectione omnino intrinsecam volumus. Ad tertiam probationem oppositam respondeo, quantumlibet bonitas aliqua transcendentalis partim intrinseca, partim extrinseca sit; inde tamen perperam colligitur, rem aliquam propriè bonam dici posse per denominationem omnino, & adæquatè extrinsecam, ac desumptam à bonitate prima, quam eiusmodi res referat, & æmuletur. Primò quia bonitas transcendentalis est passio, & affectio entis: at omnis passio, & affectio propriè talis quodammodo intrinseca esse debet, & omnino extrinseca esse nequit: aliàs quod Romæ existit, mei hic existentis passio, & affectio rigorosa dici posset. Deinde eo ipso, quod homo pictus homo sit per denominationem omnino extrinsecam ab homine vero, quem repræsentat; & Medicina sana per denominationem prorsus extrinsecam à sanitate, quam causat; & color etiam sanus per denominationem omnino extrinsecam à sanitate, quam causat: eo, inquam, ipso homo pictus improprie tantum homo, & Medicina improprie sana, & color improprie sanus denominantur: igitur hoc ipso, quod creatura dicatur bona per denominationem extrinsecam à bonitate creatoris, quam imitatur, improprie tantum bona erit, ac per consequens propriè bona per denominationem omnino, & adæquatè extrinsecam dici non poterit. Præterea nulla res propriè mala per denominationem extrinsecam dici potest: aliàs quidem Deus propriè malus dici posset per denominationem adæquatè extrinsecam à malis, quæ vel permittit, vel immittit. Tandem quia alioqui creatura simpliciter infinite bona esset: haud secus ac bonitas Dei, à qua bona fingitur, simpliciter infinita est.

12 Bonum transcendens intentionale in honestum, vtile, & delectabile dissectatur, cuius diuisionis hæc communior, & verior explicatio est. Quod iudicatur seclusa habitudine ad finem conueniens in

seipso, & eiusmodi in quo voluntas complacere possit, si conuenientia iudicetur ex delectatione, & iucunditate, & vitali quadam quiete, quam parere est aptum, eo ipso bonum delectabile nuncupatur: si verò ex quocumque alio capite, dicitur bonum honestum: id autem quod ex habitu dicitur, & conducentia ad finem aliquem indicatur conueniens, seu appetibile; id, inquam, appellatur bonum vtile. Hinc fit, solum bonum morale non esse bonum honestum, vt immeritò arbitrati sunt Salas lib. 2. tit. 1. disput. 6. num. 23. & Hurtadus disp. 7. Metaphys. 5. Tamen enim bonum morale, seu virtutis opus præcipuè sit bonum honestum; eo, quod præcipuus virtuti honor debeat, nihilque iuxta ac virtus appeti debeat: ceterum quodcumque bonum tale est, vt seclusa vtilitate, ac delectatione laudari, honore affici, approbari, ac amari possit, & debeat; siue sit physicum, siue morale; & siue sit bonum hominis, siue bonum cuiusvis alterius naturæ, etiam irrationalis, & insensibilis: id bonum honestum appellandum est, vt rectè ex Aristotele 3. Politicor. cap. 4. & Molina part. 1. quæst. 5. docet Raynaudus de disciplina morali dist. 4. quæst. 2. art. 4. num. 190. Rursus hæc tria bona honestum, vtile, ac delectabile variè variare, ac diuidi solent: iis tamen diuisionibus, quæ, cum faciles sint, & apud Aucthores passim habeantur, impendiò explicandæ non sunt.

C A P V T III.

An entis proprietates rectè diuidantur in tres: unitatem scilicet, veritatem, & bonitatem?

13 Respondeo affirmatiuè. Primò namque in ternarium illum proprietatum entis numerum coniurarunt B. Thomas 1. p. q. 5. 11. & 16. P. Suarez to. 1. Metaphys. disp. 3. sect. 2. & reliqui communiter scholastici. Deinde vnitas, veritas, ac bonitas sunt tres proprietates inter se virtualiter, aut ratione distinctæ, cum vnitas diuisionem, veritas intellectum, & bonitas voluntatem connotet; cumque vnitas multitudini, veritas falsitati, & bonitas malitiæ opponatur: at præter eas nullæ aliæ proprietates enti attribui possunt, vt ex dicendis constabit. Rursus quemadmodum natura diuina merito infinitatis suæ omnem perfectionem possibilem formaliter, aut eminenter continet: ita etiam ens vt sic infinitatem quandam habet, qua perfectionem omnem ambit: at natura diuina vt tres personas, sic etiam tres duntaxat proprietates personales sibi vendicat; neque enim proprietates personales à personis distinguuntur, iuxta illud Bernardi de consideratione cap. 8. ibi: *personarum proprietates non aliud, quam personas esse fides catholica confitetur*. Par igitur est, vt ens vt sic tres tantum proprietates sortiatur. Vltèriùs quemadmodum corpus in infinitas partes proportionales diuisibile est: ita etiam ens in infinitas partes subiectiuas diuiduum est: at corpus in trinam tantum dimensionem; nimirum, aut versus longitudinem solam, aut versus latitudinem solam, aut versus lōgitudinem, latitudinem, ac simul profunditatem: igitur etiam ens trina tantum proprietate metiendum est. Tandem numerus ternarius perfectionem quandam, & absolutionem significat: æquum igitur est, vt ens in cōmuni, quod omnem perfectionē in se claudit, proprietates numero tres sibi vēdicet. Consequentia, ni fallor, dari potest, ac debet. Antecedēs verò ab

ab Aristotele ad initium librorum de celo plurifariam ostenditur. Primò ex disciplina Pythagoreorum, apud quos solemne erat omne, & omnia; siue, quod perinde est, perfectum, & absolutum tribus definiri, siue ternione significari: videlicet, quia in eo inuenitur ratio principij, medij, & finis, quibus periodis rerum perfectio incipit, progreditur, & consummatur. Secundò ex consuetudine gentium, apud quas numerus ille Deo sacratus erat, & in sacrificiis adhibebatur: quo illud Maronis: *numero Deus impare gaudet*: id est ternario; numerorum enim imparium ternarius primus est. Tertiò demum ex communi vsu loquendi: siquidem cum de duobus loquimur, eos ambos, aut utroque appellamus; cum vero de tribus, tunc primum, *omne*, effertur.

14 Obiicies tamen primò: non est, cur falsitas transcendentalis, passio, seu proprietas entis haud secus ac veritas transcendentalis censenda non sit: siquidem quauis res cognoscibilis est, non tantum verè, verum etiam falsò, & aliter quam se habet: proprietates igitur entis plures sunt, quàm tres assignatæ; ac proinde diuisio, in qua versamur, curta est, atque insufficiens. Respondeo tamen antecedens esse falsum, falsitatemque nequaquam esse entis proprietatem. Primò, quia repugnantibus creaturis tam intellectu præditis, quàm eo destitutis, adhuc Deus maneret, & in eo euentu omnia attributa entis quoad eorum non solum perfectionem, sed etiam denominationem haberet, absque eo quòd falsitatem transcendentalem haberet; neque enim eam posset sortiri per ordinem ad suum intellectum: quippe qui falli nequit. Secundò à priori: quia omnis essentia proprietates suas innatè appetit: nulla res falsò cognosci posse innatè appetit: nullius ergo rei, atque adeò neque entis ut sic, proprietas esse potest falsitas transcendentalis. Obiicies secundò: nulla est ratio, cur malum etiam non sit proprietas entis: cum omne ens absolute, vel respectiue malum sit; ac ne Deus quidem huiusmodi malitiæ expers sit, cumque, quàm bonus est diligentibus se, tam malum esse se offendentibus mali experiantur. Atqui malum non est bonum, ut patet: non item perinde est, atque verum, & vnum: ergo, &c. Respondeo: ideo malum non est passio entis, quia non recipitur cum ente: nec enim omne ens est malum, nec omne malum est ens. Posterius suadetur: quia priuationes, & non entia mala sunt iuxta illud Ecclesiastes 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*. Prius etiam perspicuum est: quia Deus est ens, cum tamen malus non sit, sed summè bonus: quòd autem alteri malus, seu disconueniens sit peccatori nempe, quem seuerè castigat; nihil aliud est, quàm esse secundum quid malum, & simpliciter ac propriè non malum, sed bonum: in peccatoris enim

vindicta, sicubi alias, Dei infinita bonitas omnis malitiæ simpliciter expers mirum in modum elucet. Præterquam quòd deficiente creaturarum possibilitate ne hanc malitiam respectiuam Deus haberet: cum tamen in eo euentu ens esset, & nihil entis proprium à se alienum putaret.

15 Obiicies tertiò: identitas rei cuiusvis secum ipsa est proprietas entis: & tamen est vnitas, veritas, aut bonitas: quæ ergo fit in hæc tria membra proprietatum entis diuisio, est insufficiens, ac inadæquata. Respondeo, tamen identitas rei cuiuslibet secum ipsa non fit idem, ac veritas ut sic, ut tractatu secundo huius libri ostensum est: at iuxta dicta ibidem, eam nullatenus differe ab vnitate Metaphysica: hæc enim quid esse potest, quàm vnitas per identitatem: identitas igitur è conuerso erit idem, atque vnitas Metaphysica. Inde fit, diuisionem proprietatum entis adæquatam esse, ut identitas concedatur esse proprietas entis; eo nimirum quòd illa sit, sin minus vnitas ut sic, at saltem aliqua eius species: quare vulgare proprietatum entis veluti triangulum non erit, sed eius intra fines cohibetur. Obiicies quartò: distinctio entis ab omni non ipso, est proprietas entis: nihilominus haud est aliqua trium, quas memorauimus, & quæ communiter solent assignari: ergo, &c. Respondeo distinctionem entis ab omni non ipso esse formalissimè veritatem eius transcendentalem, non intentionalem, at certè physicam: quare licet præfata distinctio, sit entis proprietas, non tamen alia à tribus, de quibus est disputatio. Obiicies denique quintò, non esse, cur similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas saltem in actu primo sumptæ inter proprietates entis connumerandæ non sint; cum nullum ens alteri alicui simile, vel dissimile; æquale, vel inæquale non sit, aut esse non possit. At præfata relationes reales ex conceptibus suis distinctæ sunt ab vnitate, veritate, & bonitate: igitur etiam ex hoc capite reiicienda est trimembris, ac vulgata diuisio proprietatum entis. Respondeo negato antecedenti: in primis, quia natura diuina deficiente creaturarum possibilitate, ens esset, & proprietates entis haberet, cum tamen in eo essentia relationes illas reales non subiret, nec enim esset aliud quidpiam, ad quod eas dicere posset: nulla autem relatio realis esse potest, nisi ad aliud realiter: quare eiusmodi relationes referri, aut numerari non debent inter entis ut sic proprietates, atque attributa. Secundò, quia similitudo, & æqualitas in vnitate quantitatis, aut qualitatis; & dissimilitudo, & inæqualitas in alterutrius distinctione fundatur: vnde harum relationum aliæ ad attributum vnitatis, aliæ verò ad attributum distinctionis, seu veritatis reuocantur; sicut ad diuisionis in controuersia positæ sufficientiam sufficit.